Páll Bjarnason Vídalín

Epistola ad Ott. Mand. Rantzau

1756.

AD

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS.

DOMINVM OTTONEM MANDERVP

COMITEM A RANZAV

ORDINIS DANEBROG. EQVITEM AVRATVM
SERENISS. ET POT. DAN. ET NORVEG. REGIS
IN SACR. CVBICVLIS PARASTATAM CLAVIGER.
SVPREMO TRIBVNALI ASSESSOR. ET SOCIET.
REG. HAFN. SCIENTIARVM CVLTRICIS
MEMBRVM HONORARIVM

OPTIMVM MAECENATEM
NVPTIAS CELEBRANTEM FAVSTISSIMAS

HAFNIAE
MENSE DECEMB. A. C. N. CIↃIↃCCLIIII

EPISTOLA

PAVLLI BERN. F. VIDALINI
ISLANDI.

LIPSIAE,
EX OFFICINA BREITKOPFIA
MDCCLVI.

Nomine quem ſolo notum TVA gratia fulcit,
Cuius et a VESTRO pendet amore ſalus,
Scribere nunc iterum Pliſſaeis hoſpes Athenis
Sustinet Islandus, SVMME PATRONE, TIBI.
At non offendare, precor, quod epiſtola noſtra
Crebra nimis veniat, quin ea culta parum:
Dis, quibus es ſimilis, quamuis audita frequenter
Verba rudis linguae, ſint modo iuſta, placent.
Me facit audacem triſtis fortuna premendo,
Erigit et fractum, dum TIBI laeta fauet.
Ad noſtras etenim non fallax pertulit aures
Fama,, TIBI SOCIAM iungere iura tori.
Felicem, quae NVPTA VIRO digniſſima tanto
Auſpiciis ſuperum ſola reperta fuit!

Felicem que VIRVM, cui talis contigit VXOR,
Qualem, MAECENAS, auguror eſſe TVAM!
Has mea quam cuperet votis et carmine Muſa,
Vt par eſt, taedas concelebrare pio!
Nec magis hoc quiſquam meruit. doctrina Mineruae
Suadelae que TVO profluit ore lepos:
TE virtute grauem, meritis TE, grata, coruſcum,
Praeſidium Thule paene deum que colit:
Illius et natum bonitas complectitur alta
Me TVA, ſolamen ſpes que ea magna mihi.
Ecqua TVVM poterat decus immortale canendi
Nobis materies hac magis ampla dari?
Aſt vbi mentem agitant curae, quibus aegra laborat;
Mox animi neruo deficiente cadunt.
Debeo nempe probis notis que parentibus ortum,
Queis foret immenſum dedecori eſſe nefas,
Sed nec diuitibus nec egenis; nomine clari
(Nec ſine re nomen ſufficit) vtor aui.

Hinc adolefcenti patriae exfpectatio calcar,
  Per fe curfurus qui fuit, acre dedit;
Et, quae pauca domi patuiffent commoda, iuffit
  Linquere. gaudebam, te, bona Mufa, fequi;
Et poftquam plures cognôram: tu mihi, dixi,
  Quanquam dote carens, Pieri, fola places:
Non quod amem dici pueris plebiue magifter,
  Sed magis humanus quod fieri ipfe velim.
Quippe negant quidam (pudor eft audire fuperbos)
  Ingenium Borean gignere poffe bonum;
Hoc aiunt proprium calido fub fole creatis,
  Extra quos reliqui barbara turba ftrepant.
Non mihi vis animi, tam falfa refellere dicta,
  Numinis auxilio quae bene poffet, erat:
Nec vis numorum. numis euadere doctos
  Audiui multos: his fine nullus erit.
Illam fed ftudio fperabam acquirere; at iftam
  Contemfi, modicum dummodo fata darent.

Ergo vt Leucadios aufi committere faltus
   Infido credunt corpora nuda mari,
Quae vix reftituet, nifi faeuis fluctibus illam
   Eripiat praedam mox miferata ratis:
Sic ego Pieridum dulci nimis actus amore
   Saepius oblata nolo quiete frui;
Fortunae que meam dubiae committo falutem,
   Et vitam, et famam, quicquid erat que meum.
Spes cepit fallens miferum: conatibus illis
   Fautores aderant, praefidia haud aderant:
Siue hoc promerui, quia non vulgaria fector;
   Immeritos feu quod fors minus aequa regit.
Nil didici, fateor; cupio fed difcere multa.
   Difcendi nulla doctus egebit ope.
Prifcorum linguas maiorum tradere et acta,
   Tempus vt antiquum tempora noftra iuuet;
Texturam fcire atque operofae Pallados artes,
   Qua que Ceres fruges euocat alma nouas;

Fundere Vulcano varia et miſcere metalla;

Scrutari lapides terra que quicquid habet;

Et quaecunque valent florentes reddere ciues,

Aut magis ornatos, nôſſe, referre meis:

Nonne forent haec vtilia? haec ego diſcere vellem:

Nec me doctores indocilem eſſe putant.

Tentarem certe, niſi dura obſtaret egeſtas,

Quae, ſiqua ingenio dat bona, plura rapit.

Res anguſta prius nunc plane eſt nulla, iacet que

Conclamata diu, propoſitum que iacet.

Nunc tenues elegos iamiam moritura Camoena

Cantillat; minimis vix etiam apta modis.

Nil queror. haec ſunt fata Iouis, qui cuncta gubernat.

Feci quod potui: caetera cura Deo.

At quid agam? redeamne domum miſerandus amicis,

Iſtis ridendus, quos prope liuor habet?

An vero infelix peregrinis condar in aruis?

Roma quoque ipſa mihi Pontica terra foret.

Eſt neutrum quod amem: vulgus reprehendet vtrumque:
 Et cadet euentu non mala cauſſa malo.
Neſcio quae facienda; ſed vt mihi det Deus, opto,
 Sub ſceptris Dani viuere poſſe Iouis:
Hic ille eſt patriae Pater et lux vnica noſtrae,
 Quo regnante bonus nullus obibit inops.
TV vero pergas, FAVTORVM MAXIME, rebus
 Supplicis ipſe TVI ferre clientis opem;
Et non indignum TVA ſi me gratia cenſet,
 Quem ſeruet, precibus, quod facit, vſque iuuet;
Sin prece ſuccurri nulla mihi poſſe videbit,
 A Lacheſi preſſo pergat adeſſe tamen,
Per Muſas patriamque, et ſiquid carius illis
 Eſſe poteſt, oro ſolicitusque rogo.
His dare ſi facilem non dedignaberis aurem,
 Aut fortuna mihi deſinet eſſe tenax,
Aut iam iure queo meliori ſpernere caecam,
 Iudice dum tanto non mea culpa fuit.

Ni videar ſtultus nimium, propriam ante ſalutem
    Quod poſui patriae remque decusque meae.
Nam neque paupertas mihi nec defectus honorum
    Non peregrinanti valde timendus erat:
Non opus eſt multis ſcopulos vitare volenti
    Iſtos; ille ſubit pauca pericla domi.
Aſt huius nondum piget aut me poenitet auſi:
    Expertus poſſum dicere: non potui.
Emoriarque libens, modo TV, VIR MAXIME, viuas,
    Et TE cum Thulen quiſquis amore beat.
Quod precor vt Di dent, et vt annis Neſtora vincas,
    Quem virtute refers conſiliisque virum.
TE foueat Fors blanda ſinu, meritisque decorem
    Et titulos addat ſemper amica nouos.
Viuat, et ILLVSTRIS cum MAGNO CONIVGE CONIVX,
    Saepe noua antiquae fulcra datura domo.
Viuaque cum factis maneant monimenta NEPOTES,
    RANZAVIque PATRIS nomen ad aſtra ferant.